



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titvlvs XXXV. De Pactis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

sed & callida & malitiosa ejusdem interpretatio illicita est, & jure prohibita, quâ de causâ à Cicerone de officiis damnatur ille, qui post inducias cum hoste initas, per triginta dies depopulatus nocturne agros, sub hoc prætextu, quod dierum non nocturnum induciarum pactum fuissent.

QUÆRES 2. Si pax vel treuga ab uno paciscentium fracta fuerit, an nihilominus ab altero servari debeat? Respond. Vel pax frangitur facta privato, vel publico; si prius, pax non debet dissolvi, sed satisfactio peti; si posterius, pax censetur rupta, & absque nova belli indictione arma resumuntur juxta commune proverbium, frangenti fidem, fides frangatur eidem. *Gonsal. cap. I. h. l. num. 16.*

TITVLVS XXXV.

De Pactis.

QUÆRES 1. Quid sit pactum & quotuplex? Respond. Pactum à pactione seu paciscendo dictum definitur, duorum, vel plurium in idem Consensus seu placitum. l. 1. ff. h. t. dividitur primo in publicum, cujusmodi sunt fœdera induciarum pax, &c. quæ ob causam reipublicæ sunt *l. 5. ff. h. t.* & privatum, quod privatam utilitatem concernit. Secundo in expressum quod constat consensu, verbis vel litteris declarato; & tacitum, quod præsumpto paciscentium consensu factum censetur, prout v. gr. qui debitori chirographum reddit censetur pacisci de non

de non petendo debitum vel illud remittere præsumitur. l. 2 ff h t. Tertio, ac præcipue dividitur in nudum ac vestitum nudum est, quod solo paciscentium consensu constat, & naturali æquitate nititur, neque à traditione neque à stipulatione sumpto effectu, à quibus ad efficaciter obligandum de Jure saltem Civili acciperet firmitatem. ita Zoes. de pact. num. 3. Schneidevv. ait, est conventio duorum vel plurium, quæ stat in puris & meris terminis solius conventionis, seu placiti, neque transit in proprium nomen Contractus; neq; formam, solemnitatem, vel causam habet, unde robur & efficaciam ad producendam actionem assumere posset. Bartol. & D. D. in l. 7 §. sed cum nulla ff. de pact. Schambog. de oblig. §. fin. vestitum est, quod præter simplicem partium conventionem sortitur speciale nomen contractus vel habet certam solemnitatem vel causam, per quam robur assumit, ut actionem producat, & sic cum contractibus coincidit.

QUÆRES 2. Quomodo pacta ab invicem discernantur, ita ut constet, pactum esse nudum vel vestitum? Respond. unicam hanc regulam observandam esse. pacta vestiuntur, vel per speciale nomen quod negotium inter contrahentes actum in Jure sortitur; vel per causam quæ subest; vel per specialem assistentiam legis. pacta quæ speciale nomen habent, ut v. gr. mutuum, commodatum depositum, &c. contractus nominati vocantur, quorum quatuor sunt species: vel enim re contrahiturobligatio ita ut contractus non censeatur perfectus nisi traditio rei intervenerit, & vocatur contractus realis, l. qualis est mutuum, indebitum

bitum, commodatum, pignus, & depositum. vel obligatio perficitur verbis, & vocatur verborum obligatio qualis est, stipulatio, vel ad perfectionem suam requirit scriptionem, uti v. gr. quando creditori datur chirographum, & vocatur contractus litteralis; vel denique solo contrahentium consensu perficitur, & vocatur obligatio ex Consensu, tales contractus sunt 4. emptio venditio locatio Conductio, mandatum, & societas. Ideo autem dicuntur contractus nominati quod eorum natura certis Circumstantiis & limitibus inclusa sit, quæ speciali nomine commodè exprimi potuit, cæterorum autem natura vaga sit, & diversa comprehendat, quæ uno certo nomine exprimi non possunt. Hi contractus nominati, nominatas etiam in Jure actiones habent, v. gr. actio commodati, depositi, pignoratitia, condictio certi ex mutuo, condictio indebiti &c. Si pactum sive conventio speciale nomen in jure non habeat videndum est, an subsit causa, id est; an ab una parte jam aliquid datum vel factum sit. ut altera pars vicissim aliquid det, vel faciat, ita ut res non amplius sit in nudis terminis conventionis, sed executio vel adimpletio ex una parte jam sit inchoata; quod 4. modis contingit, nimirum do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias, qui quatuor contractus innominati vocantur, eo quod comprehendant facta aut data diversissima, quæ speciali nomine commodè exprimi non potuerunt, & producant actionem quoque innominatam, seu genericam, quæ generali vocabulo actio in factum appellatur. Hæc causa si subsit, non obstante quod negotium speciali nomine in jure destituatur, nihilomi-

nus

nus vestitum seu contractus innominatus conferi debet. Quod si nec causa subsit ulterius inquirendum, an non lex ex privilegio quodam tali negotio specialiter assistat, & actionem tribuat, uti ex sententiâ multorum, assistit pacto nudo Juramento firmato; tale pactum est. Primo, si dos per nudum pactum promissa sit. *l. uni in princ. Cod. de rei uxori. act.* Secundò, si donare quis promisit. *l. 35 § fin. Cod. de donat.* Tertiò, si constituam me soluturum §. 9. *Inst. de action.* Quartò, Si in nautico fœnore usuræ per nudum pactum promissæ sint. *l. 5 ff. de naut. fœn.* Si denique etiam hæc specialis assistentia deficiat & res in nudis terminis pacti consistat, pactum nudum vocatur. de quo in præsentî.

QUÆRES 3. An ex nudo pacto oriatur actio? Resp. De Jure Civili actionem non dari constat evidenter ex *l. 7 §. sed cum nulla ff. de pact. l. 1 Cod. de pact. convent.* & *l. 5. Cod. de contrahenda stipulat.* de Jure Canonico eam dari contendunt, *Covarr. Vallens Wesenb.* & alii, quorum hoc est fundamentum, quod pacti nudi violatio propter naturalem ejus æquitatem involvat peccatum; cum igitur SS. Canones hominum conscientiis consulere, & peccata præcavere studeant, videntur indulgisse actionem ex nudo pacto adversus contravenientem, sine qua propositum finem Canones non consequerentur. Alii tamen probabilius cum Fachinæo & Antonio Fabro negant: Partim quod ex unâ parte à Jure Civili recedendum non sit, nisi manifesta decisio Canonica in contrarium habeatur. *cap. 1. & 2. de nov. oper. nunt.* ex alterâ verò nullus extat textus Canonicus quo ex nudo pacto, Jure Civili denegata actio concedatur; partim quod Canones à litium frequentia non mi-

nus abhorreant, quàm leges. *cap. fin. de dolo* & *Constitutum* & *cap. 2. de re judic.* ideòque adversus lædentem infra dimidium, quamvis, graviter peccet, id oque ad restitutionem teneatur, actionem negant. *argum. cap. cum dilecti* & *cap. penult. de empt.* ubi hæc tantum conceditur læsis ultrà dimidium, sicut de Iure Civili. l. 2. *Cod. de resind. vend.*

QUÆRES 4. Quot modis pacta invalidentur? Resp. Duobus modis id fieri, primo, propter personam paciscentis, secundo, propter res super quibus contrahentes paciscantur. ex persona paciscentis invalidantur pacta, si quis pacisci vel contrahere de Iure sit incapax: hæc autem incapacitas vel est absoluta, si quis simpliciter naturâ vel Iure pacisci prohibeatur, cuiusmodi sunt omnes illi qui consentire non possunt, v. gr. infantes, furiosi, amentes, extra lucida intervalla, item servi & monachi qui non sibi, sed dominis suis & monasteriis, acquirere possunt. *l. si. decem §. si. pactus sim ff. h. t.* vel est respectiva, idque vel respectu certi temporis; sic pupillus, & minor quamdiu in hac ætate sunt, sine auctoritatē tutoris pacisci nequeunt; vel respectu certorum negotiorum, sic filius familiæ prohibetur invito patre mutuum accipere, *tot. tit. ff. & Cod. de Senatus Consulto Macedon.* & mulier fid. jubere *tot. tit. ff. & Cod. ad Senatus consult. Vellejan.* ex rebus in pactum deductis vitiantur pacta, si quis paciscatur super rebus prohibitis, quales sunt. 1. Res cōmunes, res universitatis, res publicæ de quibus vide §. 1. & *sequentes instit. de rerum divisione.* de iis enim rebus pacisci licet, quæ ad privatum paciscentium jus spectant, de publicis non item, l. 7. §. 14. *cum sequentibus, ff. de pact.* 2. res nullius

lius, id est, sacræ, religiøsæ & sanctæ. §. 7. *instit. d. t.*
 3. quæ bonis moribus adversantur; hinc non valet
 pactum ne dolus præstetur, vel injuriarum agi pos-
 sit, si dolus aut injuria fiat. *l. 7. §. 15. & 16. l. 27. §. 4.*
ff. h. t.

QUÆRES 5. An pacta propter defectum
 consensus alterius quem necessario requirunt, nulla
 reconvalescant, si consensus iste ex post facto super-
 veniat? R. Ratio dubitandi ex una parte desu-
 mitur, ex *l. obligari §. tutor, ff. de auctor. tutor. & §.*
tutor. inst. eod. juxta quos textus contractus à pu-
 pillo sine auctoritate Tutoris initus illo postea con-
 sentiente, non convalescit; pro alterâ parte au-
 tem, quod permutatio aut alienatio rei ecclesiasti-
 cæ ob defectum consensûs superioris vel capituli
 facta istorum ratihabitione ex post facto superve-
 niente firmetur. per textum *cap. quoties h. t. & l. 3.*
Cod. de his qui appellarunt. undè distinguendum; vel
 enim consensus, ad pacti valorem requiritur, ut
 auctoritatem præstet contrahenti, sicut tutor con-
 sensum debet dare pupillo, ob judicii imbecil-
 litatem contrahere impotenti; & tunc consensus
 in ipso contractu intervenire debet, per regulam
18. in 6. vel consensus requiritur non ut auctorita-
 tem præstet contrahenti, sed tanquàm solemnitas,
 quomodo consensus superioris & capituli requiri-
 ritur ad alienationem rerum ecclesiæ, & tunc eo
 postea superveniente, contractus convalescit, quia
 consensus superioris est instar mandati, quæ ad
 tempus prius initæ pactionis retrahitur, juxta
regul. 10. in 6. i. a Layman. & Gonsal. h. t.

QUÆRES 6. An pactum quo quis successi-
 oni vel hæreditati renuntiat validum sit? Resp.

K 5

Si ju.

Si iuramento firmetur, valere, supposito dolum aut fraudem non intervenisse, idque per celebrem textum, *cap. 1. quamvis h. t. in 6.* quia iuramenti huius observatio non continet peccatum, nec vergit in dispendium salutis æternæ, nec redundat in præjudicium & detrimentum tertii, sed solius jurantis.

QUÆRES 7. An valeat pactum de succedendo reciprocum? Respond. Sub distinctione, vel enim pactum hoc fit à militibus, vel à paganis, si à paganis subdistinguo, aut enim sit promissio mutua de succedendo causâ donationis inter vivos, an verò promissio simplex de futurâ successione reciproca, si à militibus, pactum tale indistinctè valebit, per textum clarissimum *int. licet Cod. de pact.* Si à paganis, tum demùm pactum simile validum erit si fiat causa donationis inter vivos, quia non est pactum futuræ successione, sed obligatio ex contractu descendens inter vivos de præsentis celebrato, licet effectum post mortem sortiatur; si verò sit simplex promissio de futurâ successione, non subsistet, quia constat, pacto hæreditatem dari non posse. *l. hæreditas Cod. de pact. convent.* Vide Faciu. lib. 5. *controvers. cap. 86.*

TITVLVS XXXVI.

De Transactionibus.

QUÆRES 1. Quid sit transactio? Respond. Transigere quod idem est ac ab actione transire seu cedere, quandoque sumitur generaliter pro quovis modo, quo negotium inter partes compo-